



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. Ex propria culpa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

seu ejus partis proveniens ab abscissione. Sed immerito requiritur; utrumque esse occultum, cum satis sit, culpam occultam esse; Si enim Tridentinum absolute, & universaliter concedit Episcopis potestatem dispensandi in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto præter provenientem ab Homicidio voluntario, quamvis occulto, cur limitanda est potestas, & non satis sit, ipsum duntaxat occultum esse delictum? Certè satis esse mihi videtur, & sic abscisione tenet P. Prates *man. de irreg. d. 2. p. 3. c. 5. n. 9.*

Notatio Quarta, De Eunuchis.

11. Duo mihi de eo certa sunt, Duo sub controversia. Certum est Primo, eum, qui est Eunuchus ob abscissionem, sive testiculorum, sive virilium à Medicis ob morbum factam, vel factam ante usum rationis, vel per alterius injuriam sine consensu ipsius patientis, non esse irregularem, ut clare pronuntiant Sacri Canones, *C. qui pariem, C. Siquis 1. 2. & 3. C. Eunuch, dist. 55.* Vulgi igitur ridiculus error est (ait Navar. in *summa cap. 27. n. 200.*) putare, opus esse, ut membrum abscissum deficcet, vel redactum in pulverem apud se gesseris, qui ordinari, vel celebrare velit.

12. Certum est Secundo, eum qui, vel abscindit se ipsum ex ira, vel ex zelo indifferenter servandæ castitatis, esse irregularem, ut item Sacri textus manifeste edicunt his verbis, *C. Si quis p. C. Hi qui dist. 55. C. si quis 3. eodem Siquis abscidit se ipsum, id est Si quis amputaverit sibi virilia, non fiat clericus, quia sui est homicida.*

Et paulo post: *Qui rem hanc afficiant, autemque semet ipsos abscindere, non debent promoveri.*

Et *Hi qui se, carnali vitio repugnare nescientes abscindunt ad clerum pervenire, non possunt.*

13. Idem autem esse, si non se quis absciderit, sed ob dictas rationes consenserit, seu permiserit abscindi, notant Doctores, ob verba prædicti Textus dicentis repellit ab altari eos, qui hanc rem nempe abscissionem, afficiant Lege Gibal. *de irreg. c. 3. g. 2. n. 12. de Eunuchismo* erudite tractantem.

14. Quid si, nec permisi, nec consensi, sed culpabilem tamen causam dedi abscissioni, ut pro exemplo solet afferri de eo, qui adulterium commisit, vel rixam excitavit injustam, unde à iudice, vel inimico in penam delicti, vel in rixantis odium fuit in virilibus abscissus?

15. Quæro insuper, Quid, si adulter, vel rixans hanc sibi futuram fore abscissionem, præviderit, quamvis non intenderit?

Respondeo, etiam si præviderit, dummodo non intenderit, non erit irregularis, quia nullus Textus irregularem facit eum, qui ejusmodi causas, certe remotas, amputationi dedit. Ita Castropal. *de censur. d. 6. p. 12. num. 3.* citans Tol. Garz. Coninch. Gasp. Hurt. Adde Gibal. *de irregul. cap. 3. quest. 1.* al. ique contra Vgolinum, Suar. Layman. Avila citat. à dict. Castropal. quibus adde Dianam *p. 43. tract. 2. resol. 6.* alioque, Confirmo, quia illa vox Sacri Textus (qui afficiant hanc rem) sibi latinitatem, vel primis labiis degustanti, significat apparere, vel exquirere. At, qui adulterium, rixamque vult, quamvis abscissionem prævideat, illam, nec appetit: nec requirit.

16. Iam vero controversum est Primo. An, qui ob alios fines à prædictis *num. 11.* se amputari permiserit, qualis est ad conservandam sonoram vocem, irregularis fiat.

Respondeo, de hac questione ego sic breviter. *L. 6. in Dec. c. 2. §. n. 5.* Dixi. Quæret curiosus, an permittens testiculos sibi abscindi ad vocem conservandam, sit irregularis?

Respondeo, esse docent multi, ut Sayr. Mol. Suar. citati à Diana *p. 10. tract. 13. resol. 11.* sed non esse, est etiam cum Castropal. *de cens. d. 6. p. 12. num. 14.* probabile. Rationem idem affert, quia inquit, hic non fecit ex indigna-

Part III.

tione, aut justo, vel injusto timore perdendæ castitatis, prout requiritur ad irregularitatem hanc à Sacris Canonibus. Præterea nullus Textus hanc potestatem indicens loquitur de eo, qui sibi testiculos abscindit, sed de eo, qui sibi virilia abscindi fecerit, quod diversum est.

17. Controversum est Secundo, de eo, qui non abscindit, sed mortificat, seu exsiccat testiculos, vel virilia. Verum ex inferius *cap. 15. §. 16. à num. 34.* dicendis colliges, hunc non fore irregularem, quia sic, nec membrum sibi, nec ejus partem abscindit, cui uni abscissioni est inducta à Sacris Textibus hæc irregularitas.

Notatio Quinta. De attentante sui occisionem, vel mutilationem.

18. Is, qui sibi laqueo, præcipitio, gladio, veneno mortem afferre tentavit, nec tamen attulit, irregularis non est, quia ex jure homicida irregularis est, non verò homicidium tantummodo attentans.

19. Idem dic de attentante se mutilare, non tamen cum effectu mutilationis. Nam, quando Textus *supra n. 12.* allatus dicit esse irregulares, qui afficiant se mutilare, loquitur de affectione, seu consensu cum ipso effectu sequero, ut ex contextu patet.

20. Quod, si attentatio se ipsum occidendi fuit publica, contrahit attentans infamiam; est enim hoc delictum capitale, & infame, unde ex hoc capite infamiae de quo infra, contrahit delinquens irregularitatem. Ec sub hac publicitate intelligendus est Corneio allatus à Diana *p. 4. tr. 2. res. 76.* dum docet, ejusmodi attentantem esse ex infamia irregularem.

§. III. Quis dispensat in prædictis.

1. Solum Papam dispensare posse, in corpore vitia-
tis sæpè per occasionem in Superioribus admo-
nuimus. Nunc vero iterum in suo loco confirmamus,
solum, inquam, quia, quæ à lege superiore sunt definita,
non possunt inferiores immutare.

2. Summum ergo Pontificem dispensare posse v. g. ut omnino Cæcus ordinetur, dubium ne sit. Immo memoria proditum est, dispensasse, ut vult Fill. *tr. 19. c. 6. n. 167.* Henr. *l. 14. c. 8. ltr. M. Majolus de l. reg. l. 1. c. 20. n. 2.* cum Cæco, ut, adhibito adjutore perito, celebraret. Ferrar. etiam, Pontificem dispensasse cum Roberto Scoto cæco, ut promoveretur ad Archiepiscopatum Armacanum. Ne fidem igitur adhibeas Avila, *de cens. p. 7. d. 3. dub. 3.* *Vers. ex hac conclus.* qui putat, Summum Pontificem non posse dispensare ad Sacerdotium cum eo, qui caret manibus, quia, inquit, is naturali, & divino jure est inhabilis ad illud, ne fidem, inquam, adhibeas; Sicut enim cum prorsus cæco, ita cum prorsus mutilo posset dispensare Pontifex ob bonum aliquod publicum illum promovendo ad Sacerdotium, non quidem, ut actu celebraret, quia ad hoc naturaliter est ineptus, sed ut exciperet Confessiones, ut ex officio Conciones haberet ad Populum, ut actus jurisdictionis exerceret, &c.

3. Duo denique hic, vel recolere, vel adverte, Primum posse in dubio Episcopum, vel Prælatum Regularem, declarare de qualitate viri, ut in simili supra diximus. Secundum, quando hæc Irregularitas contingit ex delicto, quo quis se mutilavit, posse Episcopum dispensare, si delictum sit occultum eo modo, quo insinuavimus *§. præced. num. 9.*

§. IV. De irregularitate ex defectu Sexus. Remissive.

DE hac irregularitate (quæ etiam est corporis virilis defectus) nemini me dixisse in *Tr. de Ord. c. 6. §. 1.* Ne igitur illa, quæ valde raro usu veniunt, cum molestia repetamus, illic lege.